



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Chronologia Monasteriorum Germaniæ Præcipuorum Ac Maxime Illustrium

Brusch, Kaspar

Nürnberg, 1682

S. Martini Treverense monasterium, ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-38166

38. *Balthasar Tungrus*, vir procerus & elegantis staturæ, sed & doctus ac humanissimus, literarum omnium amantissimus, obiit circa natalem Domini anno 1549. Præsidet feliciter hoc currente adhuc Jubileo.

S MARTINI Treverense monasterium, instituti Benedictini, *S. Martinus Tre-*
veri dæ-
monia-
cum libe-
rat.
 extra & intra, hoc est, ad ipsos muros urbis infra saxum pontem vetustissimum, in dextra Mosellæ fluminis situm, constructum & ex Tetradii Consularis viri privata domo in scholasticæ congregationis habitationem, in domum Dei & oratorium commutatum est annu Christi circiter 406. imperantibus Arcadio & Honorio, ab ipso S. Martino, Tironensi Episcopo, virtutibus pleno. Cum etiã Treverin is venisset, & Tetradii Consulis ferum ibi malo spiritu correptum à dæmonio liberasset, Consul, ut esset pro præstito sibi beneficio gratus, S. Martino domum suam dono dedit, hac lege, ut vir Dei ex ea ipsa oratorium & domum precationum S. Cruci dedicatam faceret. Extat hodie adhuc Vita S. Martini à *Severo* quodam eleganter descripta in hujus cenobii perveteri Bibliotheca. Postea vero hanc ipsam precationum & disciplinæ domum, barbarorum crebris in Galliam Belgicam & Germaniam irruptionibus desolatam & plane collapsam auxit circa annum Christi 526. & monachis Benedictinæ professionis collegium & habitaculum fecit paulo amplius & augmentius, quã fuerat ante, quinquagesimus Trevirorum Episcopus, *Magnericus*, qui abolito S. Cruci prisco nomine S. Martini cenobium novo titulo jam appellari iussit. Ejus antistitis in hoc ipso cenobio ostenditur tumulus in subterranea videlicet templi crypta, post D. Virginis aram. Tandem post multorum annorum curricula, cum à Nordmannis vastaretur tota ferè Gallia, & in Treverin etiam (quæ tum Gallia Belgicæ annumerabatur) misere sævitum esset, iterum perit S. Martini illud cenobium universum. Sed mox ab Episcopo Trevirorum sexagesimo octavo, *Rathbodone* vel *Rachabodo*, circa annos Domini 880. præclare reædificatur. Tertio vero ab Hungaris etiam, toti Germaniæ vastitatem minantibus, incensum: rursus à *Theoderico*, septua-

Catalog.
Abbatum.

ptuagesimo secundo Trevirorum Antistite instauratur circa annum Christi 960. Abbatum hujus loci talis extat, etsi aliquibus locis mancus, catalogus.

1. *Ifengerius* vel *Ingerius* ab Episcopo Magnerico huic novo monasterio præficitur primus gubernator: sed quàm diu is præfuerit, aut quando obierit, id vetustate intercidit. Hujus successores non relati sunt in fastos, aut si relati sunt, certe in bellicis tumultibus id omne iterum igne assumptum disperiit.

2. *Regino* vero Abbas præfuit circa annos Domini 888. constitutus post Nordmannicam vastationem à Rathbodone, Archiepiscopo Treverensi, tertio fundatore. Sed nec de isto quicquam amplius literis mandatum reperitur.

3. *Beroaldus* successit Reginoni: sed quo tempore aut quàm diu præfuerit, ignoratur.

4. *Albericus* præfuit sub Archiepiscopo Trevirorum, Henrico. Legitur præclare auxisse cœnobium rebus temporalibus. Post hunc iterum jam hiatus est & aliqui desiderantur. Tum enim ab Hunnis per omnes Rheni provincias crudeliter grassantibus iterum eversum est cœnobium.

5. *Augilbertus* vel *Egilbertus* à Theodorico, Treverensi præfule, quarto fundatore hujus loci, Abbas constitutus præfuit ante & post annum Domini 961. sub Othone I. Imperatore, & Benedicto VI. Pont. Max.

6. *Eberwinus* successit Egilberto. Præfuit anno Domini 995. sub Trevirorum Archiepiscopo, Ludolfo. Scripsit is vitas S. Magnerici Archiepiscopi, & Simeonis, monachi Treverensis, miraculis clari. Sub hoc Ebervino Abbate Adalbero quidam de Lutzenburg, præpositus S. Paulini, sese in Episcopatum violenter intrudens annum Christi circiter 1006. S. Symphoriani monialium cœnobium, S. Martino vicinum, funditus evertit. Post Ebervvinum hunc iterum aliqui Abbates desiderantur.

7. *Sigeberinus* obiit anno Domini 1097. sub Archiepiscopo Trevirorum, Engelberto.

8. *Theodoricus* successit Sigeberino: sed quàm diu ad clavum sederit, ignoratur.

9. *God-*

S. Symphoriani
Cœnobium.

9. *Godefridus* præfuit anno Domini 1154.
 10. *Olivierus* anno Christi 1177.
 11. *Godefridus* secundus successit *Olivero*: sed quo anno, non invenitur.
 12. *Reinbertus* præfuit anno 1181.
 13. *Wilhelmus* anno Christi 1217.
 14. *Richardus* eligitur anno 1218. sed quando decesserit, ignoratur. Sepelitur in templo S. Martini, honorifico Mausoleo, cui hoc hexametrum ac fatis elegans epitaphion incisum legitur:
*Quid laus, quid probitas, quid honor, quid forma, quid ætas
 Profunt? Incertas subeunt hæc omnia metas.
 Clara stirpe satus, pietatis nectare plenus,
 Moribus imbutus, animo vultuq; serenus,
 Eloquio doctus, inopum pia cura, probatus
 Abbas Richardus, hoc busto pausat humatus:
 Pro quò de votis lector roget, ut prece matris
 Hunc Deus eripiat Satanae de faucibus atris.*
 15. *Baldvinus* præfuit anno Domini 1238.
 16. *Theodoricus* anno Christi 1244.
 17. *Regingerus* vel *Regnerius* anno 1249. Ejus in templo S. Martini tale legitur saxo incisum epitaphion:
*Francigenæ stirpis & magnæ nobilitatis
 Abbas Regnerius hic putret egregius.
 Cunctorum festo Sanctorum carne soluto
 Optamus votis, ut societur eis.*
 18. *Joannes*, Abbas S. Martini & suffraganeus Treverensis Episcopi, *Henrici à Vinstingen*, præfuit anno Domini 1261.
 19. *Hugo* præfedit cœnobio huic anno gratiæ 1302.
 20. *Joannes de Lesura* anno Domini 1335.
 21. *Joannes de Meilio* anno 1359.
 22. *Wernbertus* anno 1362.
 23. *Wilhelmus Zant* annis Christi 1364. & 1366.
 24. *Wilhelmus de Merll* eligitur anno 1367. Præfuit 22. annis. Obiit anno Dominicæ Incarnationis 1389. feria quarta post festum Jacobi Apostoli.

Kkk

25. Hugo

25. *Hugo de Ellentz* præfuit annis 27. Obiit anno 1416. in vigilia S. Dionysii.
26. *Joannes de Schwartzenburg* præfuit annis 11. Obiit anno 1427. in festo inventæ S. Crucis.
27. *Herbrandus* successit Joanni: sed quando decesserit vel fecerit, incertum est.
28. *Henricus de Gemunda* præfuit anno 1432.
29. *Matthias Rudigerus* præfuit anno 1441. Fuit consiliarius Imperatorius, sed parum felix œconomus. Ejicitur itaq; ex Abbatia, sed quo anno, id æquè incertum est. Obiit verò anno Domini 1482. pridie Kalendarum Novembrium.
30. *Joannes Blanckbenhardus*, reformationis author an. 1471. obiit anno Domini 1499. Idibus Decembribus.
31. *Conradus de Ratingen*, hamaxurgi cujusdam filius, construxit anno 1500. dormitorium & alia plurima de novo. Obiit anno Domini 1523. quinto Kalendarum Junii, cum præfuisset 24. annis laudabiliter.
32. *Nicolaus Reibelius*, ad Mosellam natus, successit Conrado. Præfuit annis 16. Condidit refectorium. Obiit in Kalendis Octobribus, anni Christianorum 1539.
33. *Rupertus de Heptenacria*, vir doctus, inprimis vero musicus eximius, statura corporis parvus, at humanitate longe maximus, mihiq; singulari benevolentia conjunctus, eligitur anno Domini 1539. Præsides hoc adhuc currente Jubileo: qui de se ipso sic lufit:

*Has ades vigili dum cura atq; arte reformo,
Rupertus numerum jam claudo ex ordine patrum.*

*Gebenna,
Apollinis
mons.*

E regione hujus Martiniani coenobii est ultra fluvium mons Gebenna, quem à veteri Apollinis idolio Apollinis montem antiquitas vocabat: hoc verò seculum à Paulo quodam eremita, tandem Theologorum collegii Abbate & postea Virdunensi Episcopo, Paulinum montem (eo quòd ille oratorium illic sibi, deturbato in Mosellam Apollinis Idolo, fecerit) appellare solet.

*Mos Tre-
virensium
Laxiorii.*

Ex eo monte hodie adhuc *Tre verenses lanii* morem hunc retinent præcipitandæ singulis annis incensæ & ardentis rotæ in præterfluen-

fluentem Mosellam, ad deturbati inde Apollinis ac melioris Numinis suffecti memoriam ad posteros conservandam.



S. MATTHIÆ præpotens ac magnificum hodie extra muros Treverenses cœnobium monachorum Benedictini instituti & reformationis Bursfeldensis, inchoatum est annum Christi circiter 700. dictumq; antiquitus **S. Eucharii** cella, à **S. Euchario I.** S. Eucharius I. doctor Treverorum. Trevirorum doctore & Episcopo, qui ex **LXXII.** Discipulis unius à **S. Petro** cum aliis duobus, **Materno & Valerio**, Treverin-
 missus, cum ibi concionans ad Christum Treviros duceret, **Albanæ** Senatricis cujusdam filium defunctum ex mortuis resuscitavit: pro quo beneficio cum dediisset foemina domum suam sancto Dei viro, ipse mox ex illa ipsa domo privata publicum eorum (qui jam Christo inferti erant) templum faciens **S. Joanni Evangelistæ** id ipsum dedicavit. In hac domo & in hoc ipso templo **S. Eucharius** habitavit: in hac mortuus, mox ab auditoribus in subterraneam templi cryptam positus ibiq; humatus est, in quem locum omnes postea ejus successores Episcopi Treverensesq; ad **Valentinum**, vicesimum sextum Antistitem, collocati & deportati, ibiq; decenter humati sunt, tumulis & Mausoleis quindecim amplissimis parietis cryptæ eleganter insertis, quæ non nisi cum multa admiratione videri possunt. Extat hodie adhuc in cœmiterio quodam cœnobii hujus parieti insertum idolum quoddam saxæum sive **Dianæ**, sive **Veneris**, à **S. Euchario** de-
 jectum & contractum: juxta id legitur hoc barbarum epigram-
 ma, etsi non integrum: perierunt enim aliqui versus.

*Me pridem Treberis prophanis coluit aris
 Sacrilegi numinis: jam truncus spernor inanis.
 Prostrata spernor, piscator dum legat, error
 Tollitur, Eucharium, Maternum, Valerium tunc.*

Addita est vero à recentioribus Abbatibus Germanica etiam epigraphæ in hunc modum:

*Wolt jr wissen/was ich bin/
 Ich bin geweest ein Abgöttn.
 1772*

Do